


Ernst Cothmann Ulrich Böttcher

## **Dei Ter Optimi Maximi Auxilio Devote Et Humiliter Invocato: Disputatio Iuridica De Usucapionibus Vel Praescriptionibus**

Rostochii: Pedanus, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730616312>

Druck Freier  Zugang



DEI TER OPTIMI MAXIMI  
AUXILIO DEVOTE ET HUMILITER INVOCATO:

Disputatio Juridica  
**DE USUCAPIONIBUS VEL**  
PRÆSCRIPTIONIBUS,

*Quam*

*Decreto Amplissima Juridica Facultatis  
in alma Rosarum Academia,*

DECANO ET PRÆSIDE

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,

**Dn. ERNESTO COTHMANNO I.U.D.**

*Illustrissimorum Principum Megapolenfium Consiliario & antecessore spectatissimo, Domino Præceptore & promotore suo colendo,*

*Pro consequendo In utroq; Jure gradu  
Doctōrali publicè habebit*

**M. HULDERICUS BOTTICHER Chilon. Holfatus.**

*Initio facto 14. Octob. In auditorio majori horis matutinis  
& pomeridianis consuetis,*

*Anno MDCCLXII.*



R O S T O C H I I

Typis Ioachimi Pedani.

*I. D. 43. 40.*

*R. U. - jul 1677 Cothmann, Ernst/a*



IN THE GREAT BRITISH MUSEUM

Library of the Faculty of Medicine


DEURSCHE

PIONIERE VON

FRANCKENSTEIN

By the Rev. Dr. J. G. ...

... ..



... ..

... ..

... ..

... ..

... ..


... ..

... ..

... ..

... ..





## Thesis I.



Ufucapionum materia in multas  
juris civilis partes longè lateq; diffusa, quin  
omnibus legum studiosis tam juvenibus  
quam adultis sive practicis summe utilis sit  
& necessaria, nemo sanus dubitat.

### I I.

Eam igitur hac disputatione breviter, Deo opt: max:  
adjuvante, percursuri definimus, quod sit adeptio, acquisi-  
tio vel adjectio dominij per continuationem possessionis  
temporis lege definiti.

### I I I.

Hac definitione tam præscriptionem quam ufucapio-  
nem specialiter sic dictam intelligimus, nec hodierno jure  
inter utramque, quoad effectum, differentiam esse existi-  
mamus.

### I V.

Genus igitur hujus ufucapionis acquisitio vel adeptio  
est, causa efficiens lex, eaq; civilis, quæ publico bono ino-  
dium negligentis & favorem possidentis lata vero domino  
dominium adimit, & alteri non domino addicit, in poenam  
quodammodo, quia res vel bona sua dominus non custo-  
dierit, nec tempore satis longo investigarit.

### V.

Eaque lex utpote negligentiae castigatrix & in foro  
poli vel conscientiae locum habet, & divini juris regulis il-  
lam defendi posse non dubitamus.



## VI.

Causa materialis vel circa quam sunt res omnes, tam corporales quam incorporales, jura item servitutes & actiones, quæ in hominum commercijs modo sunt, & quæ ullo pacto teneri possideri, vel quasi possideri possunt.

## VII.

Res igitur sacræ, sanctæ, religiosæ, & quæ divini juris sunt, item liber homo, res dotales, pupillares, itemq; furto vel vi ablata, quæq; ex his nascuntur, res testamento vendi prohibitæ, & quæ ad fiscum pertinent & quæ publica sunt juregentium, aut meræ facultatis. & si qua sunt similia, non possunt usucapi, partim quod in commercio hominum non sunt, partim quod earum usucapio certis legibus prohibetur.

## II X.

Partus tamen ancillæ furtivæ non apud furem ipsum heredemve, sed apud alium bonæ fidei possessorem conceptus & edibus rectè usucapietur: similiter & lana, lac, corium & cætera.

## I X.

Causa formalis est, ut res ad usucapiendam habiles & idoneæ certo legitimoque tempore possideantur, & ut hæc possessio nullo interveniente turbetur vel interrumpatur.

## X.

Nam non sufficit possidere, sed legitimum tempus possidendo quietè continuare & adimplere necesse est, ad hoc ut exceptio vel actio in rem ex possessione contingere possit.

## XI.

Possessionem hic justam & veram intelligimus, bona fide & titulo fultam, vel ut loquuntur, civilem & naturalem si-



lem simul, quæ non nisi ex decursu legitimi temporis dominium adijcit.

XII.

Ille enim qui à vero domino rem accipit, vel alijs modis naturalibus dominium acquirit, statim in momento traditionis vel acceptionis dominus fit: Is autem qui à domino putativo accipit, licet non aliter credat, vel sciat, quam cum, à quo accepit, revera dominum esse & omne dominium ejus tradendo in se translatum esse, tamen dominus non est.

XIII.

Cum per naturam impossibile sit, in solidum duos unius rei dominos esse.

XIV.

Rursus is qui rem illo modo traditam accepit solus possessor est, cum contra naturam sit ut unius ejusdemque rei duo sint possessores.

XV.

Et possessor talis liberrimam rei facultatem habet, fructuum omnium perceptione gaudet, Publicianam in rem actionem, & alia tam retinendæ quam recuperandæ possessionis remedia contra quoslibet, ipso tantum domino, nisi si spoliator ille fuerit, excepto, exercet, imo & alienans illos consumensve tutus est, cum nihil aliud quam suum syncerè alienaverit, consumpseritve.

XVI.

Inde est, quod legibus nostris in usucapiente ante omnia bona fides tantopere commendatur, h. e. ut non aliter credat possessor, putet, existimet, opinetur cogitet aut sciat, quam eum, à quo rem accipit, revera dominum fuisse dominumque in se rectè translatum esse.



XVII.

Inde etiam est, quod Theophilus & reliqui hanc possessionem intelligant talem, quæ fiat τῆ ψυχῆ δεωρόζοντος, vel animo sibi habendi, sibi fruendi, vel affectione & præsumptione de re statuendi dominandique, quod cuique libet, nisi quid vi vel jure prohibeatur.

XIX.

Quod si tamen hodie rem à Titio bona fide emero, aut traditam ex alia æquè legitima causa bona fide accipero, cras alienam eam esse, & à non domino traditam cognovero, possessio mea ex tali noticia non rumpetur sed continuabitur.

XIX.

Cum in usucapionibus principium possessionis, bona vel mala fide fiat, inspiciendum de jure civili sit & in univ-  
ersum considerandum.

XX.

Quod si perendie alteri æquè bona fide capienti vendidero, donavero vel insolutum aut dotem dedero, possessio mea illi proderit, & ex principio meo ipsius eventus formabitur, & sic consequenter.

XXI.

Si tamen in accipiendo dubitabo, ipse non usucapiam, licet alteri bona fide accipienti principium usucapiendi faciam.

XXII.

Heres utiq; ejus, qui præscribere bona fide coepit, et si ipse in mala fide sit, nihilominus usucapionem ex defuncti persona adimplebit, sua mala fide præscriptioni non officiente.

XXIII.

E contrario si antecessor mala fide rem possedit, ut  
maxi-



maximè heres bona fide sit, iste tamen nec ex defuncti nec ex sua persona præscribit, nisi ab eo tempore, quo ipse rem accepit, præscriptionem inchoet.

XXIV.

In singulari successore constitutum est, ut mala fides auctoris ipsi non noceat, si accessione temporis, quo is possedit, uti nolit, bona fides auctoris non proficit, si ipse mala fide acceperit.

XXV.

De titulo quoque breviter tenendum est, eum talem esse debere, qui ad dominium transferendum sit habilis, & apud, utpote pro soluto, pro emptore, pro herede pro possessore, pro donato derelicto, dote, legato, vel pro suo.

XXVI.

Unde sequitur eum cui res commodata est, vel locata, aut precario concessa aut ad inspiciendum, probandum æstimandumve data, vel in emphytenfin & feudam tradita, usucapere non posse.

XXVII.

Sequitur etiam, uti bonam fidem, sic & titulum in hac materia non modo allegandum, sed & legitimè probandum esse.

XXIX.

Finalis usucapionum causa est, ne rerum dominia, semper sint in incerto, ut litium sit finis, & ut unusquisque rem suam diligentius possidendo servare & curare præmoneatur.

XXIX.

Nunc ad species deveniendo aliam usucapionem dicimus esse temporis brevioris, aliam longioris, aliam longissimam & aliam temporis immemorialis.



### XXX.

Brevioris temporis est præscriptio sex mensium, anni, biennij, triennij, quadriennij, quinquennij: qua ratione actioni redhibitoriae 6. mensibus, quanti minoris & injuriarum anno; actioni de dolo biennio; rebus mobilibus triennio; bonis vacantibus vel à fisco distractis, quadriennio; statui defunctorum, adulterio, & querelæ inofficiosi quinquennio præscribi jura testantur &c.

### XXXI.

Longiori tempore utpote decem annis inter præsentibus, viginti inter absentes præscribuntur res omnes immobiles, itemque accusationes pleræque criminales ex delicto competentes ut lex Julia de vi, lex Cornelia de Siciarijs &c.

### XXXII.

Præsentibus hic dicimus, qui in eadem provincia degunt, non qui in diversis.

### XXXIII.

Longissimum tempus in triginta vel quadraginta annos extenditur: hisce res ecclesiasticas & similes, illis actiones cæteras civiles, mixtas vel personales omniaque jura, quæ minora tempora legibus definita non habent, usucapi posse asseveramus.

### XXXIV.

Illo tamen observando, quod de jure civili in præscriptionibus longissimi temporis de titulo & bona fide non quærat: sed & mala fides inchoans vel superveniens susq; deq; habeatur.

### XXXV.

Qua ratione res furtivas & vi possessas, & similes, quarum commercium est, feudales quoq; vel dotales, fundos, silvas, prædia urbana vel rustica cum mero & mixto imperio,



imperio, cum Jurisdictione & servitutibus & cum quaestione finali per tantum temporis intervallum hodierno jure civili rectè præscribi posse contendimus.

XXXVI.

Quin & colonus, si de initio locationis non constet, canonis uniformitatem & perpetuæ coloniæ jus hac præscriptione tuebatur sic ut canon ipsi nequeat augeri, nec ipse ex prædio pelli.

XXXVII.

At pacto de retrovendendo vel juri offerendi, modo res vendita cum pacto in alium non sit translata, ut & juri pignoris luendi hoc longissimo tempore non præscribi verius esse statuimus.

XXXIIX.

Sic & annuis præstationibus præteritis, non etjam futuris, hac exceptione subveniri arbitramur, cum quot sunt anni, tot etjam sint præscriptiones: quod & in Camera Imperiali, veluti summo totius Imperij judicio non aliter observatur.

XXXIX.

Contra pupillos specialiter hic privilegiatos, & minores, & in genere contra omnes, qui rescissa usucapione in integrum restitui possunt, ut sunt milites, reip. causa absentes, capti ab hostibus, vel alia justa ex causa impediti, hanc præscriptionem, uti nec alias, effectivè nõ currere placuit: cum secundum regulam, Non valentem agere præscriptio non repellat.

XL.

Restat ultimo loco præscriptio temporis immemorialis, quæ eousq; excurrit, unde initij memoria apud homines non extat, & est centum annorum, eaque Ecclesia Romana præ cæteris gaudere voluit; & omnia alia jura superio-



periora, quæ propter defectum in re vel persona præscribi nequeunt, hac temporis omnium longissimi exceptione capiantur.

XLI.

Eo referimus jus collectandi, & vestigalia, regalia item majora, quæ Principi in signum supremæ præeminentiæ sunt reservata.

XLII.

Jus patronatus, decimandi & alia spiritualia an à Laicis tanto tempore acquiri possint videbimus.

XLIII.

In summa sciendum est, de Jure Canonico nullam omnino usucapionem procedere, licet possessio per mille annos processerit, nisi bona fides undiq; & in principio, medio & fine adfuerit, adeoque res neque vi neque clam neq; precario ab altero possessa sit, Idq; jus hodie, ut conscientijs salutaris in foro & praxi sequendum esse existimamus.

XLIV.

Secundum hoc igitur error juris, cum de lucro captando agitur, ad usucapiendum non proderit: secus si agatur de vitando damno. Idemque & in fructuum acquisitione dicendum est.

XLV.

Contraria usucapioni sunt mala fides, nullitas tituli, statutum prohibens usucapi, itemque pactum, evictio, vel interruptio aut usurpatio.

XLVI.

Interrumpitur enim possessio vel naturaliter, ut cum quis vi de possessione deicitur, vel ei res eripitur, aut alias ultro possessione cedit; vel civiliter, nempe actu aliquo civili, citatione nimirum vel litis contestatione interveniente.

Et usu-



### XLVII.

Et usucapionem rerum mobilium non aliter, quam per sententiam, immobilium per litis contestationem, longissimi vero temporis præscriptionem sola citatione interrumpi legibus proditum est.

### XLIIIX.

Sed cum hodie usucapionum antiqua ratio sit transformata, consequens est, & interruptionem unam eandemque, quæ sola citatione fit, ipsis applicandam esse.

### XLIX.

Sic enim & in Camera Imperiali injuriarum actio annualis vel per solam citationem perpetuatur.

### L.

Si tamen citatio haberi nequeat, & extrajudicalem denunciationem testato factam sufficere dicimus.

### LI.

Nam in universum, cum nulla hodie præscriptio sine bona fide procedat, jure hoc evenit, ut incidens mala fides, quocunq; tempore ea supervenerit, præscriptiones omnes interpellat.

### LII.

Effectus usucapionum potissimus est plena dominij acquisitio citra distinctionem directi vel utilis bonitarij vel jure Quiritum &c.

### LIII.

Contrarius effectus ille est, quod re evicta malæ fidei possessor omnes omnino fructus tam naturales quam industriales restituit, quos percepit & percipere potuit; bonæ fidei possessor extantes tantum, post vero litis contestationem universos, regressu tamen sibi adversus non dominum de evictione alioque jure suo in totum reservato.

Et hæc



Et hæc pro temporis ratione breviter ita conscripisse  
sufficiat; quæ in amica & placida collatione clarius  
elucescent, & tenebris discussis, melioribus monitis, amo-  
re veritatis, cedere non erubescunt.

*Corollaria hic subjungere pauca libuit.*

I.

*An ordinarius teneatur sententiam à delegato Principis la-  
tam notorie & evidenter injustâ exequi? Distinctione resolvemus.*

I I.

*An iudex pœnam arbitrariam possit in pœnam mortis con-  
vertere? Simpliciter negamus.*

I I I.

*An proximus agnatus feudum 30. annis non revocans post  
mortem suam locum faciat alijs agnatjs in gradu se subsequenti-  
bus? Quod affirmamus.*

I V.

*An filius revocare antiquum feudum possit cum consensu  
domini alienatû post mortem patris? Cum distinctione resolvemus.*

V.

*Titius fundum cum omnibus pertinentijs vendidit, & perti-  
nentia ex pacto in instrumento emptionis sunt specificata, sed non  
omnes: an ad omissas agi possit exempto quaritur? Quod putamus.*

V I.

*Arbiter compromissarius, cum ex compromisso de duobus alter-  
utri, qui jam ante elogium suum emiserant, laudando vel vitape-  
rando sententiã suã accommodare deberet, singulariter arbitratus  
est: an sententia ejus valeat, quaritur? Non valere defendemus.*

V I I.

*Qui pacem religionis non habent, an in ducatibus vel ci-  
vitatibus Augustane confessionis ita recipi possint, ut proprium  
templum habeant, & an huic juri præscribere  
possint? Videbimus.*

DEO SOLI LAUS ET HONOS IN SECULA AMEN.



imperio, cum Jurisdictione & servit  
stione finali per tantum temporis in  
jure civili rectè præscribi posse cont

XXXVI.

Quin & colonus, si de initio loc  
canonis uniformitatem & perpetuæ  
scriptione tuebitur sic ut canon ipsi ne  
ex prædio pelli.

XXXVII.

At pacto de retrovendendo vel  
res vendita cum pacto in alium non si  
pignoris luendi hoc longissimo tem  
verius esse statuimus.

XXXIIX.

Sic & annuis præstationibus præ  
turis, hac exceptione subveniri arbitra  
anni, tot etiam sint præscriptiones:  
Imperiali, veluti summo totius Imp  
ter observatur.

XXXIX.

Contra pupillos specialiter hic pr  
res, & in genere contra omnes, qui  
integrum restitui possunt, ut sunt milit  
tes, capti ab hostibus, vel alia justa ex  
præscriptionem, uti nec alias, effectiv  
cum secundum regulam, Non vale  
ptio non repellat.

XL.

Restat ultimo loco præscriptio te  
lis, quæ eousq; excurrit, unde initij  
nes non extat, & est centum anno  
Romana præ cæteris gaudere voluit; &

m qua-  
odierno

constet,  
nac præ-  
nec ipse

i, modo  
at & juri  
præscribi

tjam fu-  
not sunt  
Camera  
non ali-

& mino-  
pione in  
a absen-  
iti, hanc  
placuit;  
præscri-

memoria-  
d homi-  
Ecclesia  
jura su-  
perio-

